Miraculis claret, in S. numerum refertur.

frequentibus à Deo clarificatus miraculis, meruit à Leone X. Pontifice Max. in Beatorum album referri, Anno *Christi* supra millesimum quingentesimo deci-mo quarto.

S. Magnus Abbas S. Galli olim Discipulus.

Patria, genus.

Magnus, aliàs Magnoaldus, in Scotia claris parentibus ortus, monasticae vitae habitum è Sancti Co-lumbani Abbatis manibus in Gallia suscepit, sub cujus disciplina dum in Monasterio Luxoviensi ali-quamdiu viveret, perfectioris vitae instituta summo studio colere capit, sed et miraculorum gloria in-signis fuit. A Beato Columbano, cùm cellarii officio praefuisset praefectus, evocârat aliquando ex Abbatis imperio Triclinii ministrum, dum ille ad prandii horam ex do-lio Zythum, quam cerevisiam dicunt, in subiectum va-ceum expromeret. Is subitò currens non obturato dolio

Miraculorum gloria illustris.